

§. 17. (4) Primæ interpretationi, ex allatis, aliam tertiæ vicinam adjungit P. Martyr in h.l. ita scribens: *Hæc oblatio dicitur rationalis per ἀλλοθρον ad Judaorum & Gentium, victimas: Ille enim constabant ex brutis animantibus Vel, ut Origenes interpretatur, quod nostrum sacrificium sit ejusmodi, ut de eo possimus rationem poscentibus reddere, cujusmodi certè non fuerunt hostiæ veterum. Judæi enim nihil rationis adferre potuerunt, cur DEUS has magis, quam illas pecudes ad sacra sua delegerit, aut cur hoc magis, quam illo modo sibi voluerit ministrari.*

§. 18. Repetendum etiam (5) est, quod suprâ §. 13. diximus, Pontificiorum nonnullos credere, quòd Apostolus hõc nostro loco macerationem corporis moderatam, sive *rationis iudicio temperatam* delineare voluerit. Alii tamen (6) citante Estio ad h.l. *per obsequium rationale sacrificium Eucharistiæ intelligunt, proptereà quod in Canone Missæ, atque in Liturgiis Græcorum Basilii & Chrysostomi sic vocetur;* quibus sequentia Estii verba responsi loco opponimus, *scil. hujus loci contextum alium profectò postulare sensum;* proinde hunc nullo modo locum invenire posse.

§. 19. (7) Ex mente Nostratium quorundam (λογικὸν) h.l. idem est quod *sincerum*. Ita namq; B. Josua Stegmannus in Photinianism. Refut. Disp. II. Q. II. p. m. 26. Smalzianam, cujus supra meminimus, sententiam, quasi rationalis cultus h.l. idem sit, ac *cultus ex rationis arbitrio desumptus*, ita refellit, ut dicat, cultum nostrum vocari λογικὸν, non *Logicè* sed *Ethicè*, quod *debeat esse sincerus & non corruptus, obedientia per inhabitantem Spiritum excitata. Rom. VI. 17. quod totâ mente DEUM colere debeamus: quò sensu & Petrus hæc voce utatur. I. Cap. II. v. 2. ubi lac logicum sit purum sanum & non infectum, sine dolo; ut ibidem loquatur Apostolus.* Sed quemadmodum in loco isto Petri lac illud de quo sermo est, duo spectat adjectiva distin-

stin-